

60. Quæstio præfens est, verbi gratia approbavit Episcopus Regularem pro certo tempore, verbi gratia pro uno anno, vel pro viris, & non pro fœminis, si virtute bullæ, vel jubilæi eligatur, an velit Episcopus ipsum punire, & idem est si approbatus in Archiepiscopatu Eborensi eligatur in alio Episcopatu, virtute ipsius bullæ, vel jubilæi.

61. Barbastren.

Barbastrensis in suo Pastoralis Regularium quæst. 10. num. 7. asserit Episcopum punire posse etiam Ecclesiasticis censuris regularem, qui in suo Episcopatu audit confessiones secularium sine ejus approbatione, quamvis alias in alio Episcopatu sit approbatus. Hæc sententia est omnino falsa, & nullum pro se habet fundamentum, maxime in eo quod dicit posse Episcopum procedere contra regularem Ecclesiasticis censuris, cum nullo modo possit nisi in casibus expressis in jure, ut est certum. & dicam infra cum de excommunicatione fuerit sermo.

62.

Dicendum est, quod talis Religiosus nullo modo, nulloque pacto potest puniri ab Episcopo, non solum censuris, ut jam dixi, sed etiam nulla alia poena, nec Regularis tenetur in talibus Episcopo obedire. Ita Joannes Sanchez in selectis, disp. 44. num. 27. & 28. Bassæus verb. Confessor. 3. num. 19. Diana 3. p. tract. 2. Resol. 93. Pellizar, tract. 8. cap. 3. n. 29. M. Frat. Antonius à Spiritu sancto director. Confessor. tract. 5. disp. 13. sect. 43. num. 398. Et ratio est, quia iste talis confessor simpliciter est approbatus, quod Jubilæum, vel bulla requirit, & inde corrumpit totum fundamentum Barbastrensis. Deinde, quia Regularis in tali casu operatur secundum opinionem probabilem, ut patet ex quæst. sequenti, qui autem operatur secundum opinionem probabilem, operatur bona, & tuta conscientia absque culpa, ut patet ex his, quæ docent Theologi in materia de conscientia; ergo nulla poena dignus est, quia poena supponit culpam, & ubi nulla culpa, nulla est poena, Confirmatur, quia facta prohibitio Regulari de non audiendi fœminarum confessionibus, verbi gratia, debet explicari, ut locum habeat quantum ad jurisdictionem commissam ab Episcopo, sive Prælato Regulari, non autem quantum ad eam, quæ ipsi delegatur à Papa, & datur confessoris virtute bullæ, vel Jubilæi.

Joannes Sanchez, Bassæus, Diana, Pellizar, Fr. Anton.

QUÆSTIO XII.

An simpliciter approbatus in uno Episcopatu possit per bullam, vel Jubilæum eligi in quocumque alio loco, sicut & ille, qui limitatè in uno loco est approbatus?

SUMMARIUM.

- 63 Nomine ordinarij non veniunt Prælati Regulares.
64 Sententia negativa.
65 Vera, & communis sententia affirmativa.
66 Explicat rem Bossius.

67 Ratio pro nostra sententia.

68 Ad declarationes Cardinalium responderetur.

Suppono ut certum Regularem approbatum à suo Prælato tantum non posse eligi per Bullam Cruciatam, quia sub nomine ordinarij non intelliguntur Regulares Prælati, ut Abbates, Generales, seu Provinciales; sicut etiam non intelligitur approbatus ab Episcopo titulari, quia hic non dicitur ordinarius, ut ex Nugno notat Diana part. 1. tractat. 11. Resolut. 7.

63.

Nugnus, Diana.

Quod approbatus ab ordinario in una diecesi non valeat per bullam, vel Jubilæum eligi in alia, tenent Vasquez, Villalobos, Layman, Zerola, Beja, Campanil, à Costa Gutierrez, & alij quos referunt Diana part. 1. tractat. 11. Resol. 7. Candidus disputat. 24. art. 64.

64.

Opposita sententia mihi videtur vera, pro ea stant Joan. Valerius, Portel, Henriquez, Ledesma, Fai, Llamas, Fernandez, Nugnus, Coninch, Joannes de la Cruz, Filiucius, Reginaldus apud Dianam, & Candidum, Delbene tom. 2. cap. 14. dub. 8. sect. 13. num. 1. Thomas Hurtad tom. 2. tract. 12. cap. 1. dub. 1. num. 2041. & 2056. Leandrus de Sacram. penitent. disp. 11. quæst. 70. Bassæus verb. Confessor. 3. num. 14. Bossius de penitent. §. 7. num. 215. & sic ait.

65.

Valerius, Portel, Henriquez, Ledesma.

Concedente bulla, vel Jubilæo, privilegio Pontificis facultatem eligendi confessorium approbatum ab ordinario, sacerdos sive secularis, sive Regularis semel absolute approbatus à suo ordinario Episcopo, sive ille Episcopus sit originis, sive beneficij, sive domicilij, sive sit Episcopus penitentis, sive confessorij, sive loci ubi audiuntur confessiones, & consequenter à quocumque Episcopo, seu ordinario simpliciter approbatus, virtute bullæ, & Jubilæi, vel privilegij, potest ubicumque terrarum licite, & valide eligi saltem quoad forum conscientie; ita Bossius, & simpliciter Bassæus.

66.

Ratio pro nostra sententia est, quia bulla non requirit aliud, nisi quod confessor sit approbatus ab ordinario, sed qui in aliquo loco est approbatus ab ordinario, verè, & simpliciter est approbatus ab ordinario, ergo est eligibilis per bullam, nam si alias requiritur quod sit approbatus ab ordinario loci nullum privilegium conceditur in bulla.

67.

Ad quandam declarationem Cardinalium quam auctores pro se afferunt, responderetur non ostendi authenticam. Imò Joannes Valerius cum Suario pro nostra sententia alias Cardinalium declarationes afferunt.

68.

Valerius

QUÆSTIO XIII.

Utrum approbatus cum limitatione ex defectu ætatis pro viris, & non fœminis vel pro uno oppido tantum, sit ab alijs eligibilis per bullam?

SUMMARIUM.

- 69 Negativa sententia est multorum.
70 Affirmativa vera, & communis.

Genuina

71 Genuina conclusionis ratio.

72 Si quis est approbatus pro viris, & non fœminis, quia est levis, & inhonestus, tunc non est eligibilis.

69. Rodrig. Suar. Villalobos. Joan. à Cruce. Diana. Henric. Ledesma.

Negant Rodriguez, Suar. Villalobos, Ho-mobonus, Joannes à Cruce, quos citat Diana 1. part. tract. 11. Resol. 9. Oppositam tamen sententiam tenent Henriquez, Ledesma, Fay, Nugnus, quos refert, & sequitur citatus Diana, Barbosa, Gutierrez, quos refert & sequitur Trullench. lib. 1. super Bullam Cruciatam, §. 7. cap. 1. dub. 3. num. 9. Delbene tom. 2. cap. 14. dub. 8. sect. 13. num. 2. M. Fr. Anton. ab Spiritu sancto in directorio Confessor. tract. 5. disp. 13. sect. 17.

70.

Et ratio est, quia de isto tali verum est dicere, quod sit approbatus ab ordinario, & bulla non distinguit inter has, & illas personas, & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; maxime quia illa limitatio quoad viros, non est posita ex defectu scientie, sed ex defectu ætatis, quæ conditio bene suppletur in viro gravi, & timorato per bullam; deinde ut bene notat Fagundez de præcep. Eccles. tract. 2. lib. 7. cap. 2. num. 45. saltem quoad sacerdotes seculares. Illa restrictio quoad viros, locum habet quantum ad jurisdictionem commissam, & datam ab Episcopo, non verò quantum ad jurisdictionem delegatam à Summo Pontifice per bullam, ac ejus privilegium, & idèd etiam nostram sententiam tenent præter Auctores citatos, Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 36. n. 16. Bonacin. disp. 5. quæst. 7. punct. 4. §. 1. n. 22. Quintanaduenas de Jubilæo dupl. hebdomad. cap. 19. num. 9.

Fagundez.

Sanchez.

Quintanad.

71.

Ledesma. Barbosa. Gutierrez. Sanchez. Bonacin. Trullench.

Nota tamen, quod si quis est approbatus ad viros, & non ad fœminas, quia ipse levis est, & parum modestus, imò & suspicione inhonesti laborat, tunc non potest eligi per bullam, sit tenent Ledesma, Barbosa, Gutierrez, Sanchez, Bonacin, quos citat, & sequitur Trullench. citatus num. 6. Et ratio est, quia mens Pontificis interpretanda est prudentialiter, ac rationabiliter, & idèd quando concedit per bullam, vel Jubilæum eligi confessorum approbatum ab ordinario, intelligit confessorum convenientem, pudicum, & modestum.

72.

Pellizar. Leandr. Ledesma. Nugnus. Diana. Henric. Ludovic. Trullench.

Nota secundò contra Pellizar. tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 30. & Leandrum de Sacram. tract. 5. disp. 11. §. 1. cum Ledesma, Nugno, quibus adhæret Diana part. 1. tract. 11. Resol. 9. Henriquez, Ludovic, à Cruce, quos refert, & probabile reputat Trullench. in Cruciatam, lib. 1. §. 7. c. 1. dub. 3. num. 62. Quod si quis ex defectu scientie approbatus est pro parvo oppido rusticorum, vel pro pueris non potest eligi per bullam, nisi à viris consimilibus, non verò ab his, qui magnis negotiis sunt implicati. Et ratio est, quia confessor eligendus per bullam debet esse approbatus juxta formam Concilii Tridentini, ut per examen sit approbatus, & idoneus; sed sic est, quod ille per examen non est inventus idoneus, nisi pro rusticis, & parvulis; ergo per alios non est eligibilis; At verò si talis limitatio non sit ex defectu scientie, tunc est eligibilis, ut patet ex dictis.

QUÆSTIO XIV.

An Confessarius, qui olim fuit approbatus ab ordinario, sed modo sine causa, suspensus, possit audire Confessiones, sicut ille qui limitatè tempore illo transacto per Bullam Cruciate?

SUMMARIUM.

- 73 Regulari sufficit, quod semel fuerit approbatus, quamvis modo non sit.
74 De Clerico seculari negat Joan. Valerius.
75 Sententia affirmativa vera.
76 Approbatus pro limitato tempore est eligibilis.
77 Juxta aliquos Parochus dimisso officio est eligibilis.

Conveniunt Auctores, quod quoad Regulares sufficit, quod semel sint approbati, quamvis modo non sint; quod bene colligitur ex bulla plumbea, dum dicitur: Liceat eligere confessorum seculares, aut Regularem ab ordinario approbatum, & de Regularibus semel tantum approbatum; Ergo de Regulari sufficit, quod semel sit approbatus, quamvis actu non sit ut eligatur per bullam.

73.

74.

Tota difficultas est de confessore seculari, qui olim fuit approbatus, & modo sine legitima causa, ex pravo affectu ordinarij, vel officialis, est suspensus, & privatus. Negat Joannes à Cruce in director. conscientia, part. 2. de Cruce. penit. quæst. dub. 8. conclus. 4. Et fundamentum desumitur ex proximè dictis, quia bulla ait, quod liceat eligere confessorum approbatum ab ordinario seculares, vel Regularem, & quoad Regulares sufficit quod semel sit approbatus; ergo illa taxativa quoad Regulares, videtur exclusiva secularium.

Opposita sententia videtur probabilior, eam tenent Sebastianus à Costa in exp. Bullæ g. 40. A Costa, Delbene tom. 2. quæst. 14. dub. 8. sect. 3. num. 2. Delbene, Scotar lib. 7. Theol. Moral. sect. 2. problema. 26. Diana part. 1. tract. 11. quæst. 12. & magis Scotar. rem determinat. 3. part. tract. 2. de dub. Regul. Resolut. 22. Batdus in bulla tract. 5. cap. 1. sect. 5. Bardus. num. 100. Leandrus tract. 5. de penit. disp. 11. Leandrus. quæst. 72. Et ratio est, quia iste sacerdos jam semel fuit approbatus ad confessiones audiendas, atque idoneus reputatus ab ordinario, ergo bene potest eligi per bullam, quamvis actu non sit approbatus, non ex defectu suo, sed ex pravo affectu ordinarij, vel officialis, ob quem non debet privari suo jure verè, & legitime acquisito.

75.

76.

77.

Ex his inferes contra Ledesma in summa, cap. 13. de penit. dub. 10. & Trullench in crucia. tam lib. 1. §. 7. dub. 3. num. 4. Quod ille nempe, qui fuit approbatus pro limitato tempore, nempe per unum annum, quod illo transacto est eligibilis per bullam, si illa limitatio fuit posita absque aliqua causa, sed solum ex mera voluntate ordinarij, vel officialis, tunc enim bene potest eligi per bullam, quia non requiritur, quod

quod actu sit approbatus, sed sufficit, quod olim habuerit approbationem, nam ita potest dici approbatus ab ordinario. Ita docent Acolta in explicat. bulla, quæst. 39. Fay in additionib. ad 3. part. quæst. 8. art. 5. disp. 3. conclus. 4. ad 3. argum. Delbene tom. 2. cap. 14. dub. 18. sect. 13. num. 2. Diana 1. part. tract. 11. Resolut. 11. M Fr. Anton. ab Spiritu sancto in director. Confessor. tract. 5. disp. 13. sect. 2.

QUESTIO XV.

An Regularis approbatus ab Episcopo, sine approbatione sui Prælati, imò cum illius prohibitione valide audiat confessiones.

SUMMARIUM

- 78 Hæc quæstio idem valet, ac an Religiosus, possit audire confessiones sine licentia sui Prælati.
79 Si datur statutum, vel sententia tales confessiones prohibens invalide audit.
80 Prima sententia, & negativa.
81 Secunda affirmat pro validitate.
82 Talis confessor non potest absolvere virtute privilegiorum sui ordinis.
83 An peccent mortaliter, aliqui affirmant, alii negant.
84 Prælati Religiosum ab ipso expositum, & ab Episcopo approbatum ob culpas potest suspendere.

Hæc quæstio, ut notat Ledesma in summa tom. 1. tract. de penit. cap. 13. dub. 12. coincidit cum illa, an Religiosus qui habet facultatem ab Episcopo audiendi confessiones sine licentia sui Prælati valide eas excipiat.

Et in limine quætionis supponendum, quod si Religiosus est prohibitus per Decretum irritans suæ Religionis, vel per sententiam juridicam, vel per legem laicam a capitulo generali, vel provinciali, quod etiam cum approbatione Episcopi non audiat confessiones, licet detur approbatio Episcopi, prædictæ tamen confessiones sunt nullæ, & talis lex etiam concessa facultate Episcopi reddit Religiosum incapacem ad excipiendas confessiones, nisi alias approbationem habeat à Papa; nam contra sententiam juridicam prolatam à proprio iudice, vel contra legem legitimi superioris nihil potest, qui non est iudex, vel superior eius proprius. Ita cum Tabiena, & allis, docent Thomas Hurtado, tom. 1. tract. 12. c. 1. num. 213. & 2156. M. Fr. Anton. ab Spiritu sancto, Directorio confessor. tract. 5. disp. 13. sect. 22. num. 915. Unde Religiosi D. Dominici

non possunt a dire secularium confessiones, ob peculiaria statuta sine præsentatione suorum Prælatorum, ut ex Rodriguez, Joannes. Crux. à Cruce docet Villalobos, tom. tract. 9. diff. 5. num. 3.

Ad quætionem, quod talis Religiosus cum approbatione Episcopi sine licentia sui superioris licet non valeat audire confessiones. Negant aliqui, ut Adrianus Angelus, quam referunt, & sequuntur Rodriguez, tom. 1. quæst. 60. art. 3. Bossius de Jubilæo sect. 3. cas. 2. §. 5. num. 195. qui etiam refert Navarrum in Manuali cap. 4. num. 6. Sylvestr. Conradum, Henriquez, Lopezium, Fagundez, & alios, quorum præcipuum fundamentum est, quia Episcopi conferunt talem potestatem dependentem à suis Prælati præsentantibus, ergo sine eorum præsentatione, nulla erit Episcopi potestio.

Affirmativam tamen sententiam docent Pitigan, Nugnus, Salas, Angelus, Homobonus, Villalobos, Miranda, quos citat, & sequitur Diana 1. part. tract. 11. Resol. 13. In eadem sententia etiam est Leandr. de sacram. tract. 5. disp. 11. quæst. 75. Fundamentum est, quia talis sacerdos habet potestatem ordinis, & est approbatus ab Episcopo simpliciter, & aliunde non habet impedimentum, nec ex sua regula, nec ex suis constitutionibus, at suppono, ergo nihil obstat, cum aliis opus sit sanctorum, & maxime salutiferum animabus. Dixi simpliciter approbatus, quia si Episcopus approbet secundum ordinis statuta, ut notat Diana citatus, & in statutis prohibetur, ut nemo audiat confessiones sine præsentatione Prælati, tunc invalide audit confessiones, sed Episcopi non solent in suis dimissoriis talem limitationem ponere, & ideo absolute sunt intelligendi; de quo Fagund. de præcept. tract. 2. lib. 7. cap. 3. n. 32.

Tamen maxime notandum cum Adriano quæst. 1. de confess. dub. 1. vers. sed circa hoc sol. mihi 266. Trullench. in exposi. bulla lib. 1. cap. 6. num. 8. Layman. lib. 3. tract. 6. cap. 10. num. 19. Graff. 1. part. lib. 1. cap. 3. n. 88. Miranda tom. 1. quæst. 45. art. 12. Lezana in summa cap. 19. n. 12. Zetola in praxi penitent. cap. 16. quæst. 6. dictum confessorium in prædicto casu non posse absolvere penitentem virtute privilegiorum sui ordinis, cum non habeat licentiam audiendi confessiones à suis Prælati.

Tota difficultas est, an talis sacerdos peccet mortaliter. Affirmat Peregrinus ad suas constitut. part. 1. cap. 5. §. 5. Negative tamen melius respondent Molfesius, Megala, quos citat, & sequitur Diana allegatus, hoc determinandum esse secundum constitutiones Religionum, quæ semper requirunt licentiam proprii Prælati ad audiendas confessiones, si ergo ipsæ confessiones obligant ad mortale, talis confessorius mortaliter peccabit, si solum ad veniale, ut in Societate Jesu, & in nostra Carmelitana, venialiter tantum delinquet: si verò in ordine Minorum reluctanter Prælati confessiones exaudiat, præter peccatum, incurrit in excommunicationem, & alias penas, ut ex compendio notat Villalobos, citatus num. 3.

Ultimò advertendum est ex Sylvestro, & Lopez, ut notat Villalobos, citatus num. 6. quod Lopez.

quod Religiosus expositus à Prælato, & ab Episcopo approbatus, tamen ob culpas, & ob justam causam bene potest suspendi à Prælato à confessionibus audiendis, quia jus requirit Confessorium idoneum, & modestum, ac sufficientem, sed iste iudicio Prælati talis non est; ergo invalide audit confessiones, & ideo existimo, quod ob ipsos defectus, ut veros, & legitimos, ut suppono, quod talis confessor non est eligibilis per bullam; secus verò si defectus non sunt veri, nec legitimi ut obervant Ledesma in sum. tom. 1. tract. de penitent. cap. 13. dub. 12. Acolta in exposi. Bulla, quæst. 1. per totam, & alij.

Ad argumentum adversariorum respondetur, quod semper intelligitur Episcopum dare potestatem Religioso juxta sui ordinis statuta ac juxta suorum superiorum mandata, tamen si his non reluctanter Episcopus simpliciter dat potestatem, tunc valide absolvit, quia ut ait Navarrus in manual cap. 4. num. 6. Religiosus bene potest sine licentia sui Prælati facere pacem inter duos homines; ergo etiam inter Deum, & hominem.

QUESTIO XVI.

In quibus casibus Episcopus Religiosos simpliciter, & absolute approbatus possit repellere ac removere à confessionibus audiendis.

SUMMARIUM

- 86 Ubi jam de hac quæstione est tractatum.
87 Auctores referentes Decretum sacra Congregationis.
88 Decretum sacra Congregationis.
89 Quid ibi determinat quoad confessionem.
90 Constitutio Clementis X.
91 Numerantur quinque cause ob quas Episcopi possunt suspendere Regulares jam simpliciter approbatos.
92 Probias, ac integritas morum in confessione maxime necessaria.
93 Referitur de verbo ad verbum in totum Constitutio Clementis.

Am, dixi supra quæst. 9. quod Episcopus Religiosos semel ab ipso absolute, & simpliciter approbatus non potest suspendere, nec removere à confessionibus audiendis, nisi ex causa gravissima, ac urgentissima, quæ quamvis jam olim fuisset explicata, à sacra Congregatione, hanc causam magis in individuis nobis enucleavit sanctissimus D. Noster Clemens X. modò præsidens in Ecclesia Dei, ut statim dicam.

Decretum sacra Congregationis inter alia referunt Alphonsus Leo in fine, part. de indulgent. Peirinus tom. 1. privileg. constit. 22. Sixti IV. num. 45. Barbosa de potest. Episcop. allegat. 25. num. 30. Gavantus in manuali Episcop. verb. Confessor. num. 23. Scroffa quæst. 36. art. 3. Ludovicus Calpenhis tom. 2. Curs. Theolog. tract. 24. de penit. disp. 5. sect. 9. Franciscus Celpides de exemptione Regular. dub. 110. M. Lezana tom. 1.

Summa Regular. cap. 19. num. 9. & in consultiis consulti. 40. num. 5.

Ita habet Decretum Sacra Congregationis Cum sacra Congregatio de negotiis Episcoporum, & Regularium Præposita, innovari confessionarias Regulares graviter conqueri, quod ab Archiepiscopis, Episcopis, & locorum ordinariis, ab audiendis confessionibus, quavis de causa, indiscriminatum suspenduntur, propterea saepe contingere ut ab istem Archiepiscopis, & Episcopis, & locorum ordinariis omnibus simul, unius conventus confessorii confessiones audiendi facultates adimantur. Illustrissimi ejusdem Congregationis Patres, rari vix fieri posse, ut hoc sine scandalo, magnaue animarum pernicie contingat: re mature perpenfa ad omnem scandalum materiam submovendam, & quo magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur: Statuunt, ac decernunt Archiepiscopis, Episcopis, aliisque ordinariis locorum, ad quos confessorios approbandi jus spectat, confessorios regulares alias ab ipsis libere approbatos ab audiendis confessionibus suspendere post hæc minime licere, nisi ex nova causa, atque ad confessiones ipsas pertinet, aut ob non servatum interdictum ab ipsis ordinariis positum statuunt insuper eisdem Archiepiscopis, Episcopis locorum ordinariis, confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus Regularibus confessoribus, eadem sacra Congregatione inconsulta, nullo modo adimere posse quod quidem Decretum, ut iidem Illustrissimi Patres opportunum, & necessarium, ita inviolabiliter jubent observari. Rome 20. Novembris 1615. A. Mar. Episcopus Hostien. Cardin. Gallus V. Thaurin. secret. Idem habetur ex alia declaratione, Sacra Congregationis Episcoporum, & Regularium 21. Februarii 1642. Quod Decretum ad majorem rei cognitionem integrum apposui.

Ubi sacra Congregatio determinat, & ordinat, quod confessorij approbati ab ordinario non possunt suspendi nisi ex nova causa, eaque ad confessiones pertinet, vel ob non servatum interdictum positum ab ipsis ordinariis, quod jam dixi, ac explicavi citata 9. 6. Tamen has causas magis explicat, & explanat.

Sanctissimus Dominus noster Clemens X. in diplomate, & sic ait: Regulares vero admittos ad confessiones audiendas, prævio examine simpliciter, absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem ab ipsomet vicario, aut antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat, de qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare; sed sedè Apostolica dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. Porro, si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabiliter Episcopi iudicio, videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientia onerata esse volumus, cum præcipua Ministri penitentia qualitas, sit vitæ integritas, ac morum honestas &c. paucis interpositis, possit Episcopus Regu-

Acolta. Fay.

Delbene. Diana. Fr. Anton. ab Spic. Sanct.

77

Ledesma. Acolta,

85

80

Adrian. Angelus. Rodrig. Bossius. Navar. Henric. Conrad. Lopez.

81

Pitigan. Nugnus. Salas. Angelus. Homobon. Villalobos. Miranda. Diana. Leandr.

82

Adrian. Trullench. Layman. Graffius. Miranda. Lezana.

83

Peregrin. Molfesius. Megala. Diana.

Clem. X.

87

78 Ledesma.

79

Tabiena. Hurtado. Fr. Anton.

84

Sylvest. quod Lopez.

88

89

90

91